



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 127. Conjuratio Gaudavensium in necem Hogunecti & imbercurtii

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

relinqueret. Hoc eorum precibus Rex ^{Sæcul. XV.}
 eo promptius dedit, quo nullo efficaciore ^{A.C. 1477.}
 consilio permotus, epistolas eis monstra-
 verat, quam ut vehementius illarum de-
 siderium in eis accenderet.

§. CXXVII.

*Conjuratio Gandavensium in necem
 Hugoneſti & Imbercurtii.*

Deputati Gandavum reduces contume-
 liam sibi illatam vindicare firmo con-
 stituunt animo, hancque in rem legatio-
 nis suæ successum in publico exponunt
 Senatu. Aderant Ducissa, ejusque No-
 verca, Cleviæ Dux, Ravesteinius, Leo-
 diensis & Terouanensis Episcopi, præter
 Hugonectum & Imbercurtium. Depu-
 tati palam Mariæ Burgundiæ Ducissæ
 exprobrant, quod Senatum suum non nisi
 ex quatuor exploratæ fidei Viris consti-
 tuendum esse perscripsisset, eo ipso au-
 tem avitam regiminis normam penitus
 evertisset. Ducissa, aut epistolæ a se
 scriptæ immemor, aut secretum a Rege
 fratre suo minime proditum fuisse rata,
 pernegat vel unquam talia e calamo suo
 profluxisse, nec se Regis mentem & ver-
 ba assequi affirmat. Ast vix hæc dicta
 absolvit, cum illico Deputati eidem epi-
 stolam ejus manu exarratam porrigunt;
 hac conspecta Ducissa hæerere, totoque
 vultu

Sæcul. XV. vultu ruborem emicare, non tam mendacii in publico tamque celebri confesso prolati verecundia, quam indignatione commota; quare soluto congressu, adeo funesta Regis prodicionem ulciscendi consilia cepit, ut ipsamet in sui ruinam præceps rueret, & suos Regisque subditos communi calamitatum periculo involveret.

§. CXXVIII.

Hugoneſtus atque Imbercurtius comprehenſi, & condemnati.

Interim Hugoneſtus atque Imbercurtius comprehenduntur, constituuntur Judices, & accusationes instruuntur; has inter præcipuæ erant, I. Crepicordius horum auctoritate ac jussu Gallis Atrebatensem civitatem tradidit. II. Ipsi, in quadam caussa adversus quemdam civem privatum Gandavi agitata auro corrupti fuerunt, ac III. demum urbis immunitates labefactarunt. Haud dubie hi duo Ministri ingenio præstantissimi, atque innocentia tuti facili negotio cuncta illa accusationum capita diluissent, nisi defensionis copia destituti, & a potentioribus amicis derelicti, inimicos suos pro judicibus nacti fuissent, qui eis non nisi trium horarum spatium, intra quod ad mortem sese disponerent, indulgebant.

Re